# CATVLLI CARMEN LXXXV

**ODI**
**—**
**ET**
**—**
**AMO**

Poēta intellēxit Lesbiam īnfīdam et amōre suō indignam esse, neque tamen dēsiit eam amāre. Ecce duo versūs quī mentem poētae dolentem ac dubiam inter amōrem et odium dēmōnstrant :

***Ōdī et amō ! Quārē id faciam, fortasse requīris?***

***Nescio; sed fierī sentiō et excrucior !***

---

1 **ōdī** [ego] ↔ **amō**

**quārē** = cūr : Cūr id faciō? Cūr id agō?

**fortasse** = fortassis, forsitan, forsan, forte, casū, fortuitō

**requīris** [tū] **< requīrere** = interrogāre, quaerere

2 **nescio** [*vocālis -o correpta est*] = nōn sciō [quid respondeam]

**fierī sentiō** : ita esse sentiō, id est, eōdem tempore amōrem et odium sentiō[1]

**excrucior** [< ex-cruciāre=valdē cruciāre=magnīs dolōribus afficere] = magnīs dolōribus affectus sum

crux, crucis = instrumentum cruciātus et suppliciī




[1] Vidē Familiae Rōmānae cap. XI 89-90: "Puer digitum medicī in pede suō **sentit**".

Sandra Ramos Maldonado (sandra.ramos@uca.es) [PIE22]